

per gaudio perfusi sunt, adeò ut quocunq; loco fuerit Archimedes foras exsiliens exclamaverit, εὐρηκα! quin centum pro invento unico Diis suis aliquando boves immolarit Pythagoras; sed &, ne tantum naturæ bonum posteris invidere velle videantur, illud eâ semper evidentiâ docendo tradiderunt, ut cogere ad assentiendum Auditoris valerent animum. Quam ob causam ea, quâ docuerunt, Methodus à Platone in Theæteto ἀναγωγή, *Necessitas*; ab aliis ἀπόδειξις *Demonstratio*, appellata est, quod rem adeò faciat evidentem, ut digito quasi monstrata ipsisq; sensibus exposita videatur.

§. 6. Sed ut plurima sæpè nos latent, multa forsan in perpetuum, quamdiu veritatis, licet necessariæ, causas necessarias non habuerunt perspectas, eam se nòdum scire discipulis suis profectioribus ingenuè sunt confessi. Nihilominus tamen si quæ probabili ratione jam astrui posse perspexerunt, separatim consignata sub opinionis aut problematum (logicè sic dictorum) titulo tradiderunt, (non pro scientiâ vendiderunt) interim quibus potuerunt modis obtinendæ illorum certitudinì semper invigilarunt, in eumq; usum specialem quendam in rebus quantis procedendi modum *Analysin* dictum (Logicam mathematicam non iniquè vocaveris) summo ingenio tum excogitarunt, tum huc usq; perfecerunt, cuius beneficio, quod imperitis incredibile forsan videbitur, sibi non minus verè, quàm gloriosè vendicare possunt: *Nullum non problema solvere.*

*Ignota
queruntur*

*Analysin
praesertim
beneficio.*

§. 7. Undè factum est, ut in tantam hucusq; perfectiorem excreverint scientiæ mathematicæ, non λογουαχίων & conceptibilitatum tricis, sed veritatum & naturæ decretorum demonstrationibus quàm refertissimè, quibus uti nihil omninò sine causis necessariis pro certo affirmatur, aut alicui credendū auctoritate saltem humanâ, Philosophis indignissimâ (esto junioribus interim, juxta Pythagorâ, adorandâ discipulis) aut probabili saltem ratione, obtruditur; ita penes earum gnaros alii quicquid dixerint, & quocun-

*Hinc tanta
Scientia
perfectio.*

*Persuasio-
nibus carens*